e-codices

se petit audiri. Quia defecerunt sicut fumus dies mei. Hoc ad superbos respicit. quorum superbia ut fumus evanescit. Di
cit penitens. Dum ergo erexi me in superbiam. dies mei. id est tempus vitae meae sicut fumus evanuerunt. Et ossa mea
sicut cremium aruerunt. Per exaggerationem talia se dicunt propter penitentes. qualia non potest sufferre humana
natura. Cremium est fasciculus. qui fit ex siccis lignis. ut merges. Dicit ergo penitens sicut fasciculus ex siccis
lignis ut segetibus, cum proicitur in ignem cito exardescit. ita ossa mea id est virtutes animi mei. cum ego elevatus
sum in superbiam defecerunt. Percussus sum ut f. et a. cor m. id est defecit mens mea. Quia oblitus sum comedere
panem meum. Panis christus intellegitur. qui dicit. Ego sum panis vivus. Tunc enim obliviscitur homo comedere pa
nem ~~meum~~ suum. id est christum. quando deserens praecepta illius. iungitur diabolo. Dicit ergo penitens. idcirco quia oblitus christo.
percussus sum a diabolo. A voce gemitus mei. a. o. m. c. m. A voce afflictionis meae. quia peccata mea deflevi. propter
nimiam afflictionem meam. adhesit os meum carni meae id est cuti. Vel adhesit os meum carni meae. id est peniten
tiam agens. conpassus sum fratri non recte ambulanti. cupiens illum ad bonum opus perducere. Similis factus sum pellica
no solitudinis. Pelicanus est avis macilenta in egypto querens solitudinem. per quam demonstratur vita illorum. qui
se removent a consortio ceterorum. et habitant in solitudine sicut heremitae. Dicit penitens. Sicut pellicanus
avis macilenta est. sic et ego tempore penitentiae sum afflictus. Factus sum sicut nicticorax in domicilio.
Nicticorax dicitur noctis corvus. per quam designantur penitentes. nocte deflentes peccata sua. et circumeuntes car
ceres vinculatorum misericordiam illis impendunt. Vigilavi. et f. s. s. p. s. i. t. Vigilavi. id est expergefactus sum. et factus
sum similis passeri. Sicut passer removet se a ceteris avibus. et ponit nidum suum in foraminibus domorum. ne rapi
antur pulli eius ab avibus; sic penitentes iungunt se ceteris fidelibus; et venientes ad ecclesiam plangunt peccata sua
et laudes deo persolvunt. Tota die exprobrabant mihi inimici mei. Toto tempore irridebant me inimici mei.
qui prius videbantur mei esse amici. Et qui laudabant me adversum me iurabant. Et qui laudabant me. id est
qui me bonum dicebant dum malum agere videntes me in afflictione positum contra me iurabant dicentes.
Sic eveniat isti sicut illi qui iam pene inter mortuos deputatus est. Quia cinerem tamquam panem manduca
bam. Cinis. reliquiae sunt lignorum. Per ligna ergo maiora peccata. per cinerem minora intelleguntur. Dicit penitens.
Sicut homo avide comedit panem. sic ego deflebam maiora et minora peccata. Et poculum meum cum fletu misce
bam. Per poculum. sacra scriptura intellegitur. Dicit penitens. Deflens peccata mea legebam sacram scripturam cogitans
supplicia quae permittuntur peccantibus. A facie irae et indignationis tuae. q. e. a. m. A facie irae. id est a timore ge
hennae. et vindictae et indignationis. hoc est furoris tui elevans allisisti me. Dicit penitens. Tu dedisti mihi
prosperitatem. et ego elevatus sum in superbiam. Sed cum hoc fecissem. eiecisti me de altitudine superbiae. Dies mei sicut
umbra declinaverunt. Sicut umbra declinans recedit sole adveniente. sic dies mei. hoc est omne tempus vitae
meae. defecit. dum cecidi in peccatis. Et ego sicut foenum arui. Et sicut foenum arescit cum ad maturitatem pervenit
sic ego defeci. Tu autem domine in aeternum permanes. Dominus in aeternum permanet. quia nec initium nec finem habet. Et memo
riale tuum in generatione et generationem. Memoriale dei. hoc est cultus religionis qui fuit in generatione iu
deorum. et est nunc in generatione gentili. Tu exurgens misereberis syon. Vox prophetae ad filium dei. Tu resurgens
a mortuis. misereberis syon. id est ecclesiae tuae. Quia tempus miserendi eius. quia iam venit tempus tuae incarnationis
videlicet ut tua passione redimas genus humanum. Quoniam placuerunt servis tuis lapides eius. Quod servis tuis id est
praedicatoribus tuis placuerunt lapides ecclesiae. videlicet auditores praedicatorum qui ad fidem venerunt. Lapides enim fu
erunt gentiles. qui iam emolliti sunt ad praedicationem doctorum. Et terrae eius miserebuntur. Praedicatores sancti terrenae ec
clesiae scilicet misererunt. id est hominibus: dimittendo illis peccata per baptismum et impositionem manuum. Et timebunt gentes no
men domini. Gentes ante adventum salvatoris idola venerantes timebant illa. quia ut deos illa colebant. Sed ad
veniente domino iam non idola. sed deum timentes sunt. et eius nomen venerantur. Et omnes reges terrae gloriam tuam. Omnes
reges qui bene regunt motus sui corporis. gloriam dei id est potentiam timent. Quia aedificavit dominus syon. et v. i. g. s.
Aedificavit. et aedificat cotidie dominus syon. id est ecclesiam. et videbitur ipse ab ea in gloria sua. hoc est in maiestate sua
in futuro. Respexit in orationem humilium. Deus respexit ad orationem humilium. id est simplicium hominum. qui incarnationem

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 208 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/fr/csg/0312/208)